



4
1782 17 7
COMMENTATIO IURIDICA
DE
ASSIGNATIONIBVS
QVAM

*DISSERTATIONIS IN AVGVRALIS LOCO
CONSENSV ET AVCTORITATE
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS*

*IN ACADEMIA GIENSESSI
ERUDITORVM DISQVISITIONI*

SVBMITTIT

CAROLVS PHILIPPVS SICHERER
IVRIS VTRIVSQUE LICENTIATVS.

Gieffae 1782.

typis IO. IAC. BRAVNII, Acad. typograph.






INSTITVTI RATIO.

Cogitanti mihi de themate quodam dissertationis inauguralis loco elaborando, quod & utilitatem aliquam adferret, & ab aliis viris me longe praestantioribus nondum esset exhaustum, prae aliis fese commendabat materia de *assignationibus*. Est enim haec materia non solum utilissima & in foro frequentissima, sed quoque a Doctoribus qui eam pertractauerunt, nondum, ut mihi saltim videtur, sati enucleata. Nam, neque iurisconsulti *qui* in commentariis & systematibus aliisque ingentibus iuris ciuilis voluminibus de hoc arguento egerunt, neque qui peculiaribus opusculis de eo differuerunt (a) adeo

A 2

id

- (a) Ad Auctores qui ex professo de *assignationibus* egerunt referendi sunt. a) HENRICVS de COCCEII in Diff. de *Assig-nationibus* Francof. 1703. extat in eius Exercitat. curios. Vol. 2. No. 33. b) FERD. CHRISTOPH. HARPPRECHT in Diff. de *assignatione nominis* Tub. 1703, in eius disp. vol. 2. n. 56. c) SAM. STRYK. diff. de *assignationis inter-*
mer-



id exhauserunt, ut nulla prorsus vltior discussio aliorum industriae relicta videatur. Quare me haud inutilem suscepturn laborem arbitratus sum, si adhibitis iis, quae alii de hoc argumento proposuerunt, meas qualescunque meditationes placido eruditorum iudicio submitterem.



CAPVT I.

DE ASSIGNATIONE NOMINIS IN GENERE.

§. I.

Vocem *assignationis* tam in iure romano quam in iure germanico varios admittere significatus, satis quidem perspectum habeo, ast cum impraesentiarum solum de *nominum adsignatione* (quae sub vocabulo *adsignationis* simpliciter posito vulgo intelligitur) mihi sermo sit, praetereaque auctores qui de hoc argumen-

to
mercatores iure Halae 1708. quae non tantum eius Dissertationibus hallensibus sed quoque *Vfui moderno* pand.
lib. 18. tit. 4. §. 14 - 64. inserta est. d) IO. HIERON.
STENGER in Diff. de assignationibus mercatorum, ad men-
tem potissimum mandati Reg. polon. & Elect. Saxon. de
1699. Lips. 1712. e) Autor ANONYMVS in tractatu: *Juri-
stisch kaufmaennische Untersuchung von Assigntionen oder
Anweisungen unter Kauf und Handelsleuten, so wohl aus
denen gemeinen kayserlichen als insonderheit Churfürstlich
Sæchsischen Rechten fremden Handels und Wechselordnun-
gen deducirt Leipzig 1724. 4.*

❖ ❖ ❖


to ante me differuerunt, in eruendis variis huius vocis significatibus operam suam collocauerint, huic negotio immorari nolo. Potius ad rem ipsam me convertam & vt rite procedam, notionem *assignationis* praemittam.

Locutio aliquem *assignare*, einen anweisen, duplici sensu occurrit,

1mo de eo praedicatur qui dare seu *praestare* debet; quod si enim creditor debitori committit, vt pecuniam sibi debitam, suo creditori suo nomine soluat; creditorem, *suum debitorem* (qui *praestare* debet) *assignasse* dicere solemus.

2do ac *principie* de eo usurpatur qui accipere debet, nam si creditori debtor mandat, vt pecuniam debitam a suo debitore suo nomine exigat, debtor, *creditorem* (qui accipere debet) *assignasse* dici solet.

Ex quibus patet, in assignatione quatuor supponi personas, nimirum duo creditores, & duo debitores. Alius enim est creditor, qui debitori mandat, vt suo creditori suo nomine soluat; alias est ipse hic creditor, cui solutio per debitorem prioris creditoris fieri debet. Itidem, alias est debtor, qui per suum debitorem suo creditori soluere nititur; alias vero est debtor qui alteri solutionem *praestare* debet. Ast cum debtor, qui per suum debitorem suo creditori soluere cupit, re vera una eademque sit persona, & solum sub diuerso respectu modo debtor modo creditor



tor dici queat, sequitur in assignatione proprie solum tres occurtere personas.

1.) *Assignans*, qui creditori per alium soluere nititur, quem vulgo *debitorem assignantem* vocant, *der Ausgeber der Assignation*, vtut intuitu tertii, cuius nomen alteri *assignat creditor* dici queat.

2.) *Assignarius (a)*, nimirum creditor cui assignatio eum in finem datur, vt solutionem ab alio quam ab assignante accipiat, germ. *der Inhaber, Einhaber oder Einnnehmer der Assignation*.

3.) *Assignatus (b)* qui loco & nomine assignantis, assignatario solutionem praestare debet germ. *der assignierte Zahler*. Hic vt debitor assignantis sit necesse est.

Hisce praemissis, facile perspici potest assignationem esse mandatum quo *assignans assignatario committit*, *vt certam pecuniae summam ab assignato exigat (c)*. Ne-

mo

(a) *Assignarius*, in quibusdam *Ord. Camb.* haud recte vocatur *Assignatus* ex gr. in *Ord. Francof.* veter. art. 17. in *Coloniensi* art. 8. n. 7. in *Vratislau.* vet. art. 23. nou. art. 37. cum tamen potius *subiectum actuum*, quam *subiectum passuum* in negotio assignationis repreäsentare videatur.

(b) In nonnullis *Ord. Camb.* minus accurate vocatur *Assignarius*. Ex. gr. in *Ord. camb. Gedanensi* art. 15.

(c) Cum assignationes, vnicuique, præsertim vero mercatoribus sua vtilitate valde se commendent, ideo quod amba- ges & iteratae pecuniarum solutiones, in primis vero in- ter

mo enim ibit inficias mandatum esse, si quis debitori suo mandat ut pecuniam sibi debitam, suo creditori suo nomine soluat; vel si quis creditori suo mandat, ut pecuniam quam ipsi debet, a suo debitore exigat.

§. II.

Licet ex antecedentibus clarum sit, *assignationem fieri*, non solum si *creditor debitori suo mandat ut pecuniam sibi debitam, suo creditori suo nomine soluat*, sed quoque eo in casu, vbi *debitor creditori suo mandat ut pecuniam quam ipse debet, a debitore suo exigat*, monendum tamen est, vocabulum *assignationis* saepius & accu-

ter absentes, pericula & sumtus pecuniae ad loca remota & dissipata transmittendae, facile per eas declinari & euitari queant; quilibet concedet, eas iam gentibus veteribus & in primis mercaturam facientibus innotuisse. Romanos saltim, eas iam tempore CICERONIS, si non nomine tamen *re ipsa* habuisse cognitas concludere licet, ex locis quibusdam CICERONIS in epistolis ad Atticum, qui de filio Athenis studiorum causa commorante lib. 12. epist. 24. ita scribit: *De Cicerone tempus esse iam videtur: sed quaero, quod illi opus erit Athenis, permutarine posfit, an ipsi ferendum sit.* idem lib. 15. ep. 15. Cicero noster scriptit ad Tironem sibi post Kal. aprilis, (sic enim annum tempus confici) nihil datum esse. Quare velim cures, ut permutetur Athenis v. c. Scio equidem, HVERVM in praelectionibus ad Digesta lib. 17. n. 12. haec loca de Cambiis interpretari, ast cum inter eruditos satis constet, romanos negotia cambialia ignorasse, non possum non vocem *permutari* de *assignatione nominis* accipere.



curatius de casu posteriori, nimirum quo debitor creditori suo committit ut pecuniam debitam a suo debitore suo nomine exigat, quam de casu priori accipi, & hinc multos Doctores in formanda notione assignationis solum ad hunc casum respicere. Vtique vero casu requiritur, ut assignans creditor assignati, & debitor assignatarii sit, si modo assignatio proprium aliquod negotium, & a nudo seu simplici mandato de soluendo pro alio distinctum esse debeat. Ex quibus perspici potest, omnino errare STENERVM in diss. de assignationibus mercatorum §. 11. & FRANKIVM in Inst. iuris camb. lib. 1. sect. 3, tit. 9. §. 6. afferentes, minime requiri, ut assignans assignati creditor sit, aut ut assignans assignatario debeat. Concedo quidem fieri posse, ut alter ex mandato alterius tertio soluat, cum tamen alteri nihil debeat & hoc negotium vulgo nomine assignationis insigniri; ast si res rite perpendatur, facile apparebit, alterum ex nudo mandato alterius tertio soluere, ideoque nullam proprie sic dictam assignationem in tali casu locum habere. Contentiens habeo responsum iureconsultorum Helmstadiensium apud LEYSERVUM in medit. ad pand. sp. 199. m. 2. verbis: *Allgemein aber zu einer Adsignation nothwendig erfordert wird, dass der assignant dem assignatario vorher mit einer Schuldpost verhaftet sey, und nachgehends selbigen der Zahlung halber an einen seiner Schuldleute verweise.* Haec verba satis docent assignationem nonnisi eo in casu quo assignans respe-

ctu

◆◆◆◆◆

etu assignati *creditor*, respectu assignatarii vero *debitor* est, locum habere.


§. III.

Assignatio est mandatum quo assignans assignatario committit, ut certum nomen ab assignato exigat, §. praeced. Inde sequitur

I.) Assignationem *duas* praesupponere *obligationes* praeexistentes; alteram inter *assignantem* & *assignarium*, alteram inter *assignantem* & *assignatum*,

II.) Quaecunque valent de *mandato* valere quoque de *assignatione*. Inde, cum mandatum vel *expresse* vel *tacite*, & priori casu vel interueniente scriptura vel sine ea iniri queat, quoque assignationem vel tacite vel *expresse*, & hoc casu vel *interueniente scriptura* vel *sine ea fieri posse*, iure inferri potest. Interueniente scriptura, puta, aut *peculiaris schedula* (quod plerumque fieri solet) aut *alia quadam scriptura*, ex gr. litteris, ab assignante ad assignatarium eum in finem directis. Minime vero requiritur, ut *formula*, qua aliâs assignationes exprimi solent *diserte* exprimatur, cum omnino sufficiat, de *assignatione expresa* aequa ac de mandato *expreso* ex certa & aperta mentis declaratione constare. Tacite quoque fieri posse assignationem, cum HARPPRECHTO in Diff. de assignationibus §. 9. aliisque DD. existimo. Si nimirum tales existant circumstantiae, ex quibus colligi possit aliquem suo creditori mandasse ut nomen a suo de-

B bi



bitore suo nomine exigat; ex gr. si debitor sciens passus sit, creditorem, pecuniam a tertio exigere, arg. l. 6. §. 2. D. mand. & l. 18. eodem, aut si debitor creditori suo tradat ipsum instrumentum super debito assignato confectum, arg. l. 1. C. de donat. MEVIVS p. 8. dec. 440. in f.

§. IV.

Ex notione assignationis sequitur

III.) eam duntaxat consensu *assignantis* & *assignatarii*, siue expresso siue tacito fieri posse, & absque hoc consensu (a) nullam dari assignationem. Nam quia creditori, solum erga *suum debitorem* ius competit, quod personam non egreditur, facile perspici potest, consensum de-


(a) Inde sequitur, solam declarationem debitoris, creditori de exigendo debito ab alio factam, non facere assignationem, sed praeter eam requiri, ut creditor hanc declarationem debitoris acceptauerit. Quare facere haec possum cum HENR. de COCCEII in Diff. de ass. §. 7. & SAM. de COCCEII in iure ciuili controuerso lib. 18. c. 4. p. 31. statuentibus, assignationem fieri posse in *testamento*. Nam licet debitor, creditori suo, in *testamento* debitorem demonstrare queat a quo solutionem exigere debeat, haec tamen voluntas *unilateralis*, creditori, qui eam non acceptauit, nullam obligationem, nomen a debitore demonstrato exigendi, imponere potest. Potius a libera creditoris voluntate pendebit, vtrum nomen a debitore demonstrato, an vero ab herede exigere velit. Ex quibus patet, debitorem, voluntatem suam de constituenda assignatione, in testamento declarare quidem posse, minime vero assignationem ipsam in eo constitui.

◆ ◆ ◆ ◆ ◆

debitoris requiri, si creditor, a *debitore sui debitoris*, nomen exigere velit. Et cum iura partium, sint aequalia, sequitur, assignationem *creditori inuito* obrudi haud posse, ideo quod *aliud pro alio inuito creditoris solui nequeat* l. 2. §. 1. D. de reb. cred. maxima enim est diuersitas inter *paratam pecuniam* ab assignante soluendam, & inter *nomen penes tertium assignatum*. Satis id praeterea declarat l. 16. C. de solutionibus, cuius verba sunt: *Eum a quo mutuam sumfisti pecuniam, in solutum nolentem suscipere nomen debitoris tui, compelli iuris ratio non permittit.* Conspirant cum hoc asserto consuetudines diuersorum emporiorum, in primis vero ordinationes cambiales, ex gr. Ord. Camb. Brandenb. art. 23. Magdeb. art. 31. Boruss. art. 14. Gedanens. art. 16. Stuttgard. cap. 4. §. 32. & aliae, quas refert STRYK in diss. de iure assignationis §. 32. Et licet ordinationes cambiales modo allegatae, solum de *assignationibus cambialibus (Wechselassignationen)* sermonem faciant, generali tamen nituntur ratione, ob quam creditor assignationem accipere inuitus haud tenetur (b). Inde sequitur, creditori multo minus

B 2.

(b) Aliae *ordinationes cambiales* distinguunt utrum assignatio in talem fiat, a quo assignatarius solutionem in continent consequi possit, nec ne. Priori casu assignatarium ad acceptationem assignationis obligant, non vero posteriori. ex gr. ord. camb. Lips. §. 25. O. C. Vratislau. nouiss. §. 38. O. C. Guelferbyt art. 50. Palatin. art. 55. Francofurtenis de 1739. §. 41. conf.



minus assignationes particulares & diuisas obrudi posse. Semper tamen exceptus est *casus necessitatis*, nimirum, si debitor non habeat pecuniam paratam, nec alia bona vnde solutio fieri possit, aut habeat quidem, sed quae emtorem non inueniant & quae creditor acceptare nolit. Quo casu, debitorem, offerendo nomina sua se liberare posse, cum *STRYXIO* in Diss. all. §. 35. existimo.

Licet vero consensus *assignantis* & *assignatarii* in assignationem necessario requiratur, minime tamen necesse est, ut *assignatus* in assignationem consentiat: hic enim, quia solutionem vi obligationis praexistentis praestare tenetur, eiusque nihil interest vtrum assignanti an vero assignatario solutionem praefaset, nullam iustam contradicendi causam habet, ideoque nec eius consensu opus est.

CAPVT II.

DE ASSIGNATIONE NOMINIS IN SPECIE

SECTIO I.

DE PERSONIS IN ASSIGNATIONE OC- CURRENTIBVS.

§. V.

Quis assignare possit?


Ex notione assignationis perspici potest, eam cœnu-
tualem saltim continere alienationem. Nam assi-
gnans
conf. JOHANN LUDWIG SPANS *Wechselfrecht der Reichsstadt*
Frankfurt am Mayn cap. 10. §. 61.

gnans per assignatum creditoris suo foluere cupit, & quia assignatus assignantis *debitor* est, satis patet, assignantem nomen, quod assignatus ipsi debet reuera alienare. Inde sequitur eos solum cum effectu assignare, quibus libera rerum administratio & alienandi facultas competit, arg. §. vlt. in f. I. quibus alienare licet. Dantur vero, qui de suis rebus plane non disponere possunt. Dantur, qui solum accedente consensu seu auctoritate alius cuiusdam disponere possunt. Dantur, quibus disponendi facultas haud quidem quoad omnia, verum tamen quoad certa quaedam bona competit. Hi quoque solum eiusmodi nomina assignare possunt, de quibus libere disponere possunt. Sic ex. gr. *vxor* nomen *paraphernale*, haud vero nomen *dotale* assignare potest. Ipsi tantummodo interueniente consensu *tertii* assignare possunt, ex. gr. *minores*, *prodigi*. Illi vero plane non assignare possunt, ex. gr. *furiosi* (a).

Tutores vero & curatores, quia publica auctoritate ad bona aliorum administranda constituti sunt, nomina eorum quorum bona administrant, valide assignare possunt. Nec dubitari potest, quin tutor, qui creditor pupilli est, sibi ipsi vel suo creditoris

B 3 assigna-

- (a) Debitor obaeratus, *ante* motum concursum, vni ex creditoribus, cum effectu assignare potest; non vero *post* motum concursum; nam hoc casu, reliquis creditoribus actio renovatoria competit. conf. LEYSER med. ad pand. sp. 495. m. 2.



assignare possit, l. 9. §. 5. & 7. D. de admin. tutel. modo bona fide agat, & creditum statim ab initio professus sit, conf. cocceii in Diff. de assign. §. 21. STRYK. in Diff. de assign. §. 30.

Itidem valide assignare potest procurator in rem suam l. 33. C. de donat. c. 1. de procur. in 6. Etenim cum procurator in rem suam talis sit, in quem per cessionem dominium *nominis* translatum est, nemo dubitare potest quin tale *nomen* suo creditor i assignare possit. Procurator in rem alienam vero aliter assignare nequit, ac si speciali mandato munitus sit. Quod si vero procurator omnium bonorum & quidem cum libera constitutus sit, puto, facultatem assignandi ipsi denegari non posse, quia talis procurator credita principalis exigere & debita ipsius solvere potest arg. l. 10. §. vlt. de pact. l. 11. 12. eodem l. 34. §. 3. de solut. conf. quoque HARPPRECHTVS in Diff. supr. all. n. 318. §. VI.

Quia secundum R. I. de 1551. §. 79. & Ordinat. polit. de 1577. tit. 20. §. 4. actiones iudaeis aduersus christianos competentes, a iudeis christianis haud cedi possunt, specialis exsurgit quaestio: An iudeus, debitorem christianum christiano assignare queat? Negant id plurimi DD. in primis HARPPRECHTVS in Diff. saepius all. §. 19. & SCMALCALDER in Diff. de judiciali bonorum obaerati assignatione §. 21. Nituntur verbis generalibus legum Imperii: *noch auch der Jud seine Schuld und Anforderung in einigen Weg einem*

einem Christen übergeben. Ast cum leges imperii supra all. solum cessionis mentionem faciant, assignatio vero a cessione toto coelo differat, vt infra probabo, praeterea quoque hae leges, ex odio erga iudeos latiae & exceptionem a iure continentis strictissimae interpretationis sint, facultas assignandi debitorem christianum creditori christiano, iudeis haud potest denegari. Nec obstant verba *in einigen Weg*, quippe quae de aliis modis, quibus creditor iudeus *ipsum ius crediti* in alium transferre potest, intelligi possunt. Quod cum in assignatione cesset, nec ad eam haec verba extendi possunt (a).

§. VII.

Cui assignari queat?

Assignatario ope assignationis solutio praestari debet, iam vero cum solum iis ad effectum liberacionis solui queat, qui libera de rebus suis disponendi gaudent facultate, sequitur assignatarium talem esse

- (a) Cum in Saxonia iudeis permisum sit, actiones suas christiano vendere, teste BERGERO *in decisionibus summi provocacionum senatus electi. Sax.* pag. 223. a LEYSERO in med. ad pand. sp. 199. coroll. 2. excitato; iudei in terris Saxoniciis, multo magis assignare poterunt. Extra Saxoniam, vñus allegati §. 79. R. I. de 1551. valde dubius est. Saltim de eius non vñu in camera imperiali, testatur de CRAMER *in Wetzlar. Nebenstunden* p. 3. pag. 108. Alii DD. vñus huius legis ad iudeos publica auctoritate haud receptos restringunt, conf. de PVFFENDORF tom. I. obs. 158.



debere, qui libere de bonis suis disponere potest, & alienandi gaudet facultate. Hinc cum pupillo, minori, prodigo ciuiliter tali &c. solui nequeat, sequitur, eiusmodi personis nomen ad effectum liberationis assignari haud posse. Potius tutori vel curatori assignatio fieri debet. Hoc praetermisso, liberationem assignans tunc demum obtinebit, si pupillus &c. pecuniam quam nomine assignantis exegit, in suam vtilitatem impenderit, vel illa adhuc penes eum existat, ne pupillus cum assignantis damno fiat locupletior. Quia vero recte soluitur procuratori creditoris, sive vniuersali sive speciali mandato instructo, ei quoque valide assignatio fieri potest. Procuratori in rem suam, assignationem a debitore cesso, ceteris paribus valide fieri posse, extra omne dubium positum est.

§. VIII.

De assignato.

Supra demonstrauit, assignationem supponere obligationem inter assignantem & assignatarium prae-existentem. Inde patet assignatum talem esse debere, qui valide se obligare & alteri soluere possit. Hinc furiosi, prodigi, pupilli, &c. qui absque consentu tutoris seu curatoris valide se obligare & soluere nequeunt, personam assignati subire non possunt. Quodsi vero assignatus talis sit, qui obligationem in se suscipere & soluere posit, nihil intererit, vtrum obligatio assignati ex contractu, an vero ex delicto,

alia-

aliaue causa obligationem producendi idonea orta sit, modo ea quae assignatus assignanti ex delicto debet certam aestimationem admittant.

SECTIO II.

DE EO QVOD INTER ASSIGNATIONEM ET ALIA NEGOTIA COGNATA INTEREST.

Cum assignationis quaedam sit similitudo cum aliis quibusdam negotiis, ob eamque rationem saepius tam in legibus (a), quam in scriptis iureconsultorum (b) cum iis confundi soleat, hac sectione de differentia quae inter assignationem & alia similia negotia intercedit, quaedam proferam.

§. IX.

De differentia inter assignationem & cessionem.

Cessio nominis est actus, quo quis dominium nominis sibi competentis ex iusto titulo in alterum transfert. Iam vero si notio *cessionis* cum notione assignationis supra proposita conferatur, facile perspici

C pot.

- (a) Satis id probant distinctiones inter assignationes per modum *mandati*, & per modum *cessionis*, *delegationis*, seu *dationis* in solutum factas, in *ordinationibus camb.* passim obuiiae. ex. gr. in *ord. camb. Stuttgard.* c. 4. §. 32. licet assignatio, non per modum *mandati*, sed per modum *cessionis delegationis* &c. facta, reuera non sit assignatio, sed potius ipsa cessio, seu delegatio.
- (b) Assignationem cum cessione confundit LEYSERVUS in *med. ad pand. sp. 199. m. 2.*



poterit, assignationem a cessione toto coelo differre
Nam:

1.) Cessio ius ipsum, quod cedenti aduersus debitorem cessum competit, in cessionarium transfert. Assignatio vero non ius ipsum, sed solum exercitium iuris (nimirum exactionem solutionis) assignanti aduersus assignatum competentis, in assignatarium transfert. Nec assignarius nomen assignatum suo nomine exigere potest, sed assignantis nomine illud exigere debet. Cessionarius vero nomen cessum proprio nomine exigere potest.

2.) Cessio, cessionarium facit procuratorem in rem suam, ideoque etiam omne compendium & dispendium quin ipsum periculum nominis cessi in eum transfert, ita, ut cessionario si ne obolum quidem a debitore cesso consequi possit, nullus aduersus cedentem competat regressus: quia cedens solum ad *verum*, non vero ad *bonum* nomen praestandum obligatus est. Assignatio vero, assignatarium facit procuratorem in rem alienam (c), ideoque neque dispendium neque periculum nominis assignati in assignatarium transfert, nec sufficit, nomen assignatum verum esse, sed praeterea

(c) Cum assignarius solutionem in gratiam & utilitatem nempe liberationem assignantis exigat, fatis patet, eum primario procuratorem in rem assignantis esse; licet suo modo & quasi secundario, si solutionem plenariam ab assignato obtineat, procurator in rem suam vocari queat,
HARPPRECHT. §. 25.

terea quoque requiritur ut bonum sit; ita, ut assignatario, si vel plane nihil vel non totum creditum a debitore assignato consequi possit, regressus aduersus assignantem competit.

3.) Per cessionem debitori cesso nouus substituitur creditor in locum prioris. In assignatione autem assignatus eundem retinet creditorem quem ante factam assignationem agnouit. Hinc, cum conditio assignati per assignationem durior haud reddatur, facile perspici potest, leges cessionem in potentiores, in christianum a iudeo contra christianum, in tutorum vel curatorem contra pupillum vel curandum prohibentes, ad assignationes adipicari haud posse, ut supra §. VI. probauit.

§. X.

De eo quo assignatio a cambio distat.

Insignis quoque inter assignationem & cambium intercedit differentia. Et quidem notandum, assignationem a cambio *in genere* in eo differre, quod

a) in assignatione sola facultas de *rebus suis* libere disponendi requiratur, in *cambio* vero, huic facultati facultas de *persona sua* disponendi accedere debeat.

b) Quod cambium certum tempus quo solutio fieri debet contineat, eiusmodi vero tempus in assignatione, si a dispositione legum particularium discesseris, haud requiratur.

c) Quod in cambio praesentans protestationem interponere teneatur, si trassatus neget se cambium accepta-



ceptaturum, aut solutionem facta semel acceptatione praestare detrectet, hac vero (a) protestatione opus non sit, si debitor assignatus sub aliquo praetextu acceptationem assignationis vel solutionem deneget.

d) Quod exceptiones altioris indaginis cambio opponi nequeant, quae in assignatione omnino locum habent.

e) Quod in cambio persona debitoris solutionem detrectantis arresto detineri possit, in assignatione vero *assignatus* eo demum casu, quo de fuga suspectus est, adprehendi queat.

§. XI.

Iam licet ex dictis in §. praeced. differentia inter assignationem & cambium satis iam conspicua sit, nihilominus tamen collationem assignationis & cambii secundum species, in quas abit cambium, instituam.

Notissima est diuisio cambii in *proprium* & *improprium*. Cambium *proprium* cum nihil aliud sit quam debitum clausula cambiali munitum, in eo differt ab assigna-

(a) Nonnullae Ordinationes cambiales, assignatario *protestationis interpositionem*, si assignatus assignationem acceptare recuset, iniungunt. v. gr. *Ord. Camb. Guelpherbytan.* art. 51. *Ord. camb. Silez.* art. 36. §. 5. *Preuss. Wechsel-Recht.* de anno 1751. art. 70. In Saxonia Electorali potestatio restricta est ad eum casum, quo assignans *absens* est, quando assignatus acceptationem detrectat. conf. *Mand. El. Sax.* d. ao. 1699.

assignatione, quod in illo solum *duae*, in hac vero tres occurrant personae. Cambium *improprium* seu *trassatum* vero sequentibus ab assignatione differt modis. I.) Camb. *improprium* nouum ius & nouam obligationem, quae antea non aderant, inter *numerantem* & *assignantem* constituit. Assignatio autem praesupponit obligationem inter *assignantem* & *assignatarium* existentem. II.) In cambio trassatus debitor trassantis esse (a), vel non esse potest. In assignatione assignatus debitor assignantis necessario esse debet. III.) In Cambio consensus *trassati* in acceptationem requiritur. Assignatio vero consensum assignatarii non requirit. IV.) In cambio *improprio* *quatuor* occurrere possunt personae, sc. *remittens*, *trassans*, *praesentans* & *trassatus*. In assignatione vero semper solum tres occurront personae. Reliquas differentias lubens praetereo.

§. XII.

Quia ius ex cambio competens alteri cedi potest, eiusmodi cessio vero *indossamentum* vocatur, de differentiis inter *indossamentum* & *assignationem* pauca adhuc addam. Indossamentum vel *indossamentum in procura* est, vel *indossamentum in sensu stricto*. Prius indossatario praeter simplex mandatum de exigenda pecunia, nihil iuris tribuit. Hinc a) indossatarius pecuniam exactam

C 3 sibi

(a) Hinc patet, sententiam COCCII in diff. de aff. §. 19. statuentis, omni cambio assignationem inesse, eo demum casu veram esse, quo trassatus trassanti summam cambiū cambialiter debet.



fibi retinere haud potest, sed eam indossanti restituere tenetur. Assignatarius vero pecuniam exactam pro modo debiti retinet. b) Indossatarius, cambium indossatum in *alium* indossare nequit, nisi specia-
liter hoc ipse sit concessum, assignatarius vero ulterio-
ri assignatione recte vtitur, ut infra probabo. c) In-
dossatarius cambium iusto tempore praesentare, & si
acceptatio haud sequatur protestationem interponere,
praetereaque cambium indossanti statim remittere de-
bet, id quod in assignatione non requiritur. Ex qui-
bus satis patet, magnam inter *indossamentum in procura* & inter *assignationem* esse differentiam. Indossa-
mentum in sensu stricto vero satis in eo ab assigna-
tione differt, quod per modum *cessionis* fiat, quam na-
tura assignationis prorsus respuit, ut §. IX. docui.

Cum tanta tam quoad naturam quam quoad effectus
inter cambium & assignationem sit differentia, liquet,
vocem *sola*, si assignationi adscribatur, eam haud muta-
re in cambium: nam quia huius vocis non tanta est vis,
ut sola cambium efficiat, FRANCK. *inst. iur. camb. lib.*
I. f. I. t. 6. §. 8. nec ea assignationem in cambium
mutare poterit. Legi meretur super hac quaestione re-
sponsum mercatorum Lipsiensium apud SIEGEL. in *corp.*
iur. camb. n. 76. conferatur etiam RICCIUS in *Exercitat.*
iur. camb. Ex. 3. §. 25. & in *Exerc. 8. §. 86.*

§. XIII.

De eo quod inter assignationem & scontrationem interef.
Saepius quoque assignatio cum scontratio ne per mi-
sceri


sceri solet; ideoque qua ratione assignatio a scontratione differat paucis differendum est. Scontratio est actus quo plures mercatores in aedibus mercatorum publicis (*auf der Boerse*) conueniunt, & mutua cambia inter se compensant. Differt scontratio ab assignatione tam natura quam effectu. Nam a) scontratio consensum & praesentiam omnium qui in scontratione occurunt (*a*) exigit, & si quis ipse scontrationi interesse nequeat, mandatarium *speciali* & *iudiciali* mandato instructum siffrere debet. Assignatio vero nec praesentiam nec consensum assignati requirit. b) Scontratio in aedibus mercatorum publicis fieri debet: Assignatio vero quocunque loco fieri potest. c) Scontratio requirit ut summa, quae in scontrationem deducitur, saltim eodem loco & eodem tempore debeatur, id quod in assignatione non requiritur. d) Scontratio plenissimum solutionis effectum habet, ita ut illi, cui solutio per scontrationem facta est, nullus detur regressus contra scontrantem, si ab altero solutionem consequi haud possit, quod securus est in assignatione, qua assignatario semper patet regressus contra assignantem, si solutionem ab assignato haud consequutus sit.

§. XIV.

De discrimine inter assignationem & delegationem.

In omnibus negotiis, quibus cum assignatione quae-dam est similitudo, maxime se exserit delegatio. Haec enim

(*a*) *ord. camb. Lips.* §. 24. *ord. c. Vratislau.* de 1742. §. 39. *ord. camb. Francof.* §. 34. *Ius camb. guelpherbyt.* art. 50.



enim tam in legibus, praesertim ordinationibus cam-
bialibus, quam in scriptis DD. saepius cum assignatio-
ne confundi solet, cum tamen inter utramque maxi-
ma sit differentia. Inter omnes constat, delegationem
esse speciem nouationis, qua consensu creditoris &
debitoris nouus debitor in locum prioris creditoris sub-
stituitur. Posita hac notione facile sequentes emer-
gent differentiae. a) Delegatio requirit consen-
sum debitoris delegati, assignatio vero etiam absque
consensu assignati fieri potest. b) Delegatio duplici
conficitur conuentione, assignatio vero unica tantum
conuentione, nimurum inter assignantem & assignatarium
perficitur, c) in delegatione pristinus debitor muta-
tur & alius in eius locum substituitur, in assignatione
vero idem manet debitor, qui ante assignationem ade-
rat, d) delegatione prior obligatio, quae inter delegan-
tem & delegatarium erat, plane tollitur & periculum
nominis in delegatarium transfertur, ideoque etiam re-
gressus contra delegantem, si delegatus a delegato
nihil consecutus sit excluditur, in assignatione vero ob-
ligatio inter assignantem & assignatarium nec non re-
gressus contra assignantem in salvo manet, e) per de-
legationem purgatur mora l. 8. pr. D. de nou. quia
sublato per delegationem debito principali, quoque
debitum accessorium ex mora locum amplius non ha-
bet; per assignationem vero mora minime tollitur (a).

coc-

(a) Quaestio: *An in dubio pro delegatione an vero pro affi-*
gnatione?


coceit disp. supra all. §. 12. conferatur etiam responsum ictorum Hallensium quod exhibet LUDOVICI in der Einleitung zum Wechsel-Proces cap. XI. §. 64.

Ea quae haec tenus de differentia inter assignationem & alia negotia ad finia a me prolatas sunt, satis probant, divisionem assignationis in plenam & minus plenam, quam facit STENERVS in Diss. de assignationibus §. 28. naturae assignationis minime conuenire, sed ei potius plane repugnare. Plenam talem putat esse, quae obligationem assignantis prorsus extinguit, ita ut periculum nominis in assignatarium transferatur. Minus plenam vero eam esse credit, cuius definitionem §. I. dedi. Plenam tunc locum habere statuit, si assignatio assignatario a debitore in solutum detur, aut ab assignatario tanquam cesso recipiatur, aut si debitum per delegationem vel scontrationem assignetur. Iam vero licet negari haud possit, assignationem per modum cessionis, delegationis, dationis in solutum aut scontrationis fieri posse, praeterea quoque adesse leges prouinciales, divisionem assignationis in plenam & minus plenam con-

D

ti-

gnatione presumendum sit? quam mouet STRYK in disp. laud. §. 25. ex §. 3. I. quib. mod. toll. obl. & I. 8. C. de Nou. facile dijudicari potest. Nam quia secundum has leges nouatio tunc solum adest, quoties hoc ipsum inter contrahentes expressum est, delegatio vero nouationem continet, satis patet eo in casu, quo partes eiusmodi terminis vni sunt qui in utramque partem explicari possunt, pro assignatione contra delegationem presumptionem capiendam esse.



tinentes, (b) minime tamen natura genuina assignatio-
nis per hanc diuisionem mutari potest: quilibet enim
concedet, assignationem per modum cessionis, delegatio-
nis &c. factam, re vera non assignationem, sed potius
actualem cessionem seu delegationem esse. conf. MEVIVS
P. 7. dec. 46. HARPPRECHT cons. 56. n. 48.

§. XV.

De differentia inter assignationem & *constitutam pecuniam* mihi adhuc sermo esset faciendus. Sed cum iam satis longus fuerim in recensendis differentiis as-
signationis aliorumque negotiorum, & discrimen inter
assignationem & constitutam pecuniam iam per se satis
conspicuum sit, praeterea que de eo fuse egerit coce-
ri in Diff. saepius laudata §. 15. vltiorem disquisi-
tionem absque praeiudicio huius commentationis omit-
ti posse putaui.

Idem dicere possum de differentia inter *assignata-
rium* & *eum qui solutioni adiectus est*, de hac enim
multa protulit STRYK in Diff. de assign. §. 28. ad
quem lectorem remitto.

SECTIO III.

DE EFFECTU ASSIGNATIONIS.

Ordinis & instituti rationem secuturo iam de ef-
fectu assignationis agendum est. Consistit hic effectus

cum
(b) In Saxonia Elect. assignatio ita dispescitur. Vid. Rescript.
Elect.

cum in iuribus & obligationibus, tum in actionibus. Quia vero haecce iura & obligationes ex assignatione prominantia alia sunt respectu assignantis, alia respectu assignatarii, & alia ratione assignati, in considerandis his iuribus & obligationibus ita versabor, ut primo de iuribus & obligationibus intuitu assignantis, secundo de iuribus & obl. ratione assignatarii, & tertio de iuribus & obligationibus respectu assignati agam. Ast cum leges mercatoribus latae & consuetudines quae solum inter eos obseruantur, multum ab effectibus quos ius commune assignationi tribuit recedant, vt confusio euitetur, saepius inter assignationes iure mercatorio factas, & eas quae non ita factae sunt, distinguendum erit.

MEMBRVM I.

DE IURIBVS ET OBLIGATIONIBVS EX ASSI- GNATIONE DESCENDENTIBVS

A.) RESPECIV ASSIGNANTIS.


§. XVI.

Cum in assignatione, per ea quae in antecedentibus dicta sunt, non *ipsa obligatio*, qua assignatus assignanti obstrictus est, sed solum *solutionis exactio* in assignatarium transferatur, facile est ad animaduertendum, debitorem assignantem non obstante assignatione assignatario manere obstrictum, nec ea liberari. Id quod etiam satis illustrat & confirmat communis illa

D 2

mer-

*Elect. d. a. 1699. in Cod. August. tom. 2. pag. 2067.
Eandem diuisionem continet ord. camb. Stuttgard. c. 4.
§. 32. & c. 6. §. 14.*



mercatorum paroemia (a): *Anweisung ist keine Bezahlung.*
 Inde recte me iudice annotat coccei in diff. saep.
 laud. §. 25. assignationem per se nunquam veram esse
 solutionem, & ne tunc quidem, si pactum de non re-
 uocanda assignatione adiectum sit, ideo quod pacta
 nunquam tollant obligationem ipso iure constitutam
 nec per assignationem hoc agatur ut obligatio in alte-
 rum transferatur.

Ex quibus satis perspicuum est valde errare ictum
 eximium LEYSERVUM Sp. 199. m. 2. dum existimat, assi-
 gnationem simulac a debitore facta & a creditore ac-
 cepta fuerit, instar solutionis esse. Prouocat quidem
 iureconsultus magni nominis ad I. 8. §. 3. ad Senatusc.
 Vell. & ad I. 187. D. de Verb. Signif. Verum enim
 vero non intelligo, quomodo LEYSERVS hisce legibus
 pro confirmanda sua sententia vti potuerit, cum qui-
 libet etiam me non monente statim primo intuitu per-
 spiciet, hasce leges non de assignatione, sed de delega-
 tione disponere. Eidem tamen confusione assignationis
 cum cessione vel delegatione, quae apud LEYSERVUM I.
 all. reperitur, tribuendum videtur, quod in nonnullis
 legibus particularibus assignatio in plenam & minus ple-
 nam dispescatur, prior ea esse debet, qua debitor cre-
 ditori suo alium debitorem assignando liberatur, cum
 posterior debitorem assignantem ab obligatione sua haud

li-

(a) conf. HERT. *de paroemiis iuris germ. paroem.* 96. EISEN-
 HARTS *Grundzaeze der teutischen Rechte in Sprichwoertern*
 Num. 66. p. 388. BARTH in *hodeg. for.* c. 2. §. 3, lit.
 b) WERNHER p. 7. obseru. 281.

liberet conf. §. XIV. Respuit autem hunc effectum liberationis non solum essentia assignationis, sed quoque eum reprobat ius ciuale, quod debitorem tunc demum liberat, si creditor solutionem a debitore assignato consecutus sit (l. 49. & 64. D. de solut. Cum iussu meo id quod mihi debes, soluis creditori meo: Et tu a me, & ego a creditore meo liberor). Quod si enim debitor per solam acceptationem assignationis liberaretur, nulla habita ratione utrum solutio sequatur nec ne, re vera eiusmodi negotium non assignatio, sed aliud quoddam negotium ab assignatione plane diuersum esset, vt supra in Sectione IIda huius commentationis docui.

Perspexerunt id multi legistates, qui vt obuiam irent confusioni saepius a me notatae, expressis verbis suis legibus sancierunt, ne per solam assignationem assignans prius liberetur, quam ab assignato solutio praefixa sit. Ita disertis verbis disponit *ius camb. Borus.* art. 13. Obschon dergleichen Assignationen vom Einhaber angenommen würden, so bleibt doch sein Wechselrecht so lange in integro, bis daß die Zahlung vom assignatario (sc. assignato, qui hic falso vocatur assignarius vid. nota b) pag. 6.) wirklich erfolget. Idem disponit *ius camb. Gedan.* art. 16. *Brandenb.* art. 49. *Austriac.* art. 42. *Francof.* nouiss. art. 41. *Guelferbyt.* art. 50. *Bolsan.* nouiss. cap. 44. *Lips.* art. 25. *Ord. Camb.* *Bremens.* art. 45. *Palat.* art. 55. *Iuliac.* *Berg.* art. 53. conferri quoque merentur testimonia mercatorum a STRYKIO in Diff. de ass. §. 44. & 45. allata.

D 3

§. XVII.



§. XVII.


Quod si vero assignatus solutionem praefliterit, diversi a se inuicem separandi sunt casus. Nam id quod assignatus soluit *aut* summam, quam assignans assignatario debet exaequat, *aut* non. Priori casu assignans liberatur, siue assignatus totam quam assignanti debet summam soluerit, siue non, quia eo in casu, quo nomen, quod assignatus assignanti debet, maius est eo quo hic assignatario obstrictus est, assignatario solutionem per praeflationem partis nominis assignati fieri potest. Nec solum ipse assignans liberatur, sed quoque pignora & hypothecae soluuntur & fideiussores liberantur, cum sublato debito principali etiam debitum accessorum tollatur. Neque obstat quod assignans non ipse sed per alium soluat, quoniam iuxta 1. 56. D. de solutione qui mandat solui ipse soluere videtur & secundum 1. 180. de R. I. quod iussu alterius soluitur, pro eo est quasi ipsi solutum esset, praeterea quoque assignatarius, si solutione ab assignato praeflita ab assignante idem nomen adhuc exigere vellet, exceptione doli repelletur. Posteriori vero casu, si quantum, quod soluit assignatus, summam nominis, quod assignans assignatario debet, haud exaequat, duplice hoc contingere potest modo, *aut* quia quantitas nominis assignati minor est quantitate nominis, quod assignans assignatario debet, *aut* quia assignatarius particularem solutionem nominis assignati, debitum, quo assignans, illi tenetur vel exaequantis vel superantibus accipit. Priori casu assignantem, non

non in totum, sed solum pro parte liberari, extra o-
mnem dubitationem positum est. Posteriori vero casu
singularis oritur quaestio: *an si assignatarius particula-
rem solutionem ultro accipiat, assignans in totum libe-
retur?* in totum liberari, nec de insufficientia assignati vi-
terius teneri assignantem, statuit de OLEA de cess. iur.
tit. 7. quaest. 3. n. 42. & 43. ideo quod assignatarius,
si particularem solutionem ab assignato accipiat, ipse
eius fidem hac ratione sequutus videatur. *Ait sen-
tentia auctoris modo allegati haud firmo nititur talo;*
potius mihi cum HARPPRECHTO in Diff. de ass. §. 39.
distinguendum videtur: *vtrum aliunde quam ex acce-
ptatione solutionis particularis probari possit (a), quod*
assignatarius fidem assignati sequi voluerit, *an non?*
priori casu assignantem in totum liberari statuendum
est, non vero in casu posteriori.

§. XXIII.

Ex iis quae hactenus deduxi perspicitur, assignan-
tem demum per solutionem ab assignato praeslitam li-
berari. Quod si vero solutio ab assignato praeslita ef-
fectum liberationis respectu assignantis producere de-
beat,

- (a) Nec ad hanc probationem requiritur, ut assignatarius di-
ferte professus sit, se fidem assignati secuturum, sed suffi-
cient quoque praesumptiones concludentes ex gr. si syn-
grapham primae obligationis assignanti reddiderit, cancel-
lauerit vel concerperit, aut si suo calendario, inducto
nomine assignantis, nomen assignati inscripferit, ut bene
monet HARPPRECHTVS loco all.



beat, requiritur ut assignatus *ex causa assignationis* soluat: nam evenire potest, ut assignatus non solum assignanti, sed quoque assignatario debeat, quo casu, si debitor assignatus soluat quidem creditori, ast non assignantis nomine, sed nomine proprio, ille per hanc solutionem non liberatur, quia eiusmodi solutio non efficit, ut assignatarius ab assignato habeat, quod *assignans* ipfi debet, l. 31. D. de hered. petit. l. 19. §. 1. D. de cond. indeb. modo dolus ex parte assignatarii absit.

§. XIX.

Cum (per ea quae antea tradita sunt) assignatio mandatum sit, ideoque non *dominium* nominis assignati, sed tantum *solutionis exactio* per eam in assignatium transferatur, euidenter appetet:

I.) Quod *assignans* nomen alteri assignatum non obstante assignatione alteri assignare, ipse exigere, & de eo cum debitore assignato pacisci possit, quamdui solutione ab assignato nondum praefixa est. Mandatum enim, a mandante, quamdui adhuc res integra est, reuocari potest, id quod etiam colligere licet ex l. 12. §. 16. D. mand. Si *mandauero exigendam pecuniam*, *deinde voluntatem mutauero* --- ait Marcellus *cessare mandati actionem*: quia *extinctum est mandatum finita voluntate*. Inprimis vero id declarat argumentum ex l. 3. C. de nou. Si *delegatio non est interposita debitoris tui*, ac propterea *actiones apud te remanserunt*, *quamuis creditori tuo aduersus eum solutionis causa mandata*.

❖ ❖ ❖

daueris actiones, tamen antequam lis contestetur, vel aliquid ex debito accipiat, vel debitori tuo denunciauerit, exigere a debitore tuo debitam quantitatem non vetaris, & eo modo tui creditoris exactionem contra eum inhibere. Quod si enim argumento huius legis, cedens in exigendo debito praeferatur cessionario, multo magis, bene obseruante cocceio in diff. all. §. 33. assignans, qui dominus nominis assignati manet, praeferendus erit assignatario. Et quia exactio nominis assignati ab ipso assignante suscepta, aut vltior eius assignatio, tacitam declarationem voluntatis de reuocanda assignatione continet, liquet assignationem tam expresse quam tacite ab assignante reuocari posse. Dissentit quidem STRYK in Diff. de ass. §. 51. & 52. putans, leges modo a me allatas ad assignationem haud applicari posse, ideo quod mandatum in assignatione contentum, non in solam assignantis sed simul in assignatarii vtilitatem vergat. Ast licet assignatio in vtilitatem assignatarii, eatenus quatenus ab assignato solutionem obtinet vergat, minime tamen inde consequitur, naturam mandati quod assignatio continet eo mutari: quamdiu vero haec eadem manet, ea quae de mandato in genere valent, etiam de assignatione non possunt non valere. Interim facile concedo, inter mercatores saepius contrarium usu obtainere; inter hos enim vtplurimum iuris apices deseruntur (a). De iure communi vero statuendum est, assignationem re

E ad-

(a) MARQVARD, de iure mercat. 1. 2. c. 15. n. 3.



*ad huc integra tam expresse quam tacite ab assignante
reuocari posse.*

II.) Ex natura assignationis quae naturam mandati sequitur, perspici potest, assignantem obligari ad restitutionem impensarum necessiarum, quas assignatarius in exactionem solutionis fecit, licet assignans, si ipse nomen exegisset, forsan minus impendisset. Et quidem indistincte, siue solutionem praestiterit assignatus, siue non. Sic ex gr. quando assignatarius protestationem interponere *obligatus fuit*, ubi assignatus acceptationem assignationis denegauit, assignans impensas in protestationem factas restituere tenetur, prout docet responsum mercatorum quod exstat in SIEGELII corp. iur. camb. p. 2. n. 133.

B. DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS, INTVITV ASSI-
GNATARII EX ASSIGNATIONE PROMANAN-
TIBVS.

§. XX.

Enarratis hactenus praecipuis iuribus & obliga-
tionibus, quae facta assignatione ratione *assignantis* se
exferunt, iam de effectu assignationis intuitu *assigna-
tarii* sermo mihi est faciendus.

Effectus principalis assignationis ex parte *assignata-
rii* in eo consistit, *quod nomen assignatum exigere ex-
actumque quoad suminam quam assignans ipsi debet, si-
bi habere debeat.* Fluit hic effectus ex notione assigna-
tio-


tionis prono alueo, nec longa indiget probatione. Assignans enim per assignationem liberationem ab obligatione qua assignatario tenetur intendit, quam obtinere haud posset, si assignatarius, id quod ab assignato accepit restituere teneretur. Ex hoc effectu quoque sequitur, assignarium, *nomen assignatum alteri iterum assignare posse*, saluo tamen nexu inter eum & assignantem, ita ut si assignarius secundus ab assignato nihil consequatur, assignatio primo regressus contra assignantem primum competat (a), modo ab assignariis nihil neglectum fuerit.

Praeter hunc effectum principalem assignatio adhuc alios ratione assignatarii producit, qui ex natura *mandati* & inde profluentibus officiis mandatarii facili negotio deduci possunt --- Ante omnia assignarius, assignationem sibi factam, assignato notificare, & nomen assignatum *tempestive* exigere debet, facile enim ex procrastinatione assignanti praiejudicium oriri potest; quod si certum tempus conuentione, lege (b) seu obseruantia determinatum est, assignarius illud, nisi moram

E 2 com-

(a) conf. STRYK in Diff, de assign. §. 48.

(b) Sic ex gr. iure Camb. Brunsvic. art. 51. vt nomen assignatum intra triduum aut exigatur aut assignatio remittatur sancitum est. In ord. camb. austriac. filef. art. 39. & in Vindobonens. art. 42. intra 24. horas exigi debet nomen assignatum. Iure Saxonico Altenb. c. 3. §. 8. intra terminum peremptorium. Secundum ord. Francof. nouiss. §. 41. saltim intra spatium octo dietum, deductis tamen diebus festis & dominicis.



committere velit, obseruare tenetur. Praeterea quoque assignantem de successu assignationis reddere debet certiorem, in primis si quas moras necat assignarius: summatim, assignarius, tanquam mandatarius omnem in exigendo nomine adhibere debet diligentiam, quod si enim negligens fuerit (c), aut fines mandati excederit, nullum aduersus assignantem habebit regressum.

§. XXI.

Specialis vero oritur quaestio: *an assignarius protestationem interponere teneatur, si assignatus assignationem vel plane non acceptet, vel post acceptationem factam solutionem recusat?* Iam supra §. 10. lit. c) huius quaestione mentionem feci. Mihi distinguendum videtur, vtrum assignatio *cambium* pro obiecto habeat an non. Priori casu protestatio necessaria erit: posteriori vero casu, si nimis assignatio *debitum commune* contineat, iterum mihi videtur distinguendum vtrum conuentio seu lex quaedam prouincialis seu obseruantia protestationem requirat, an non: priori casu ea itidem necessitatis erit, minime vero casu posteriori, quia ad regressum contra assignantem sufficit, assignatarium debitam diligentiam in exigendo debito adhibuisse. Conspirat cum hoc asserto Responsum fa-

cul-
cis. Non possum tamen non monere, hasce constitutiones solum ad assignationes, quae debita cambialia continent, spectare.

(c) conf. BARTH. in hodeg. for. cap. 2. §. 3. lit. h. p. m. 471. qui praecidicium scabinorum Lipsiensium huc spectans suppeditat.

cultatis iuridicae Hallensis quod exhibet LVDOVICI in der Einleitung zum Wechselproceß Cap. XI. §. 63. & 64. nec non responsum mercatorum apud SIEGELIVM in corp. iur. camb. p. 2. n. 124. Negari tamen nequit, protestationem etiam hoc ultimo casu, ad euitandas inculpationes assignantis, ab assignatario utiliter interponi.

C. DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS RESPECTIV
ASSIGNATI EX ASSIGNATIONE PRO-
FLVENTIBVS.

§. XXII.

Supra in fine §. IV. probauit, consensum assignati in assignationem non requiri; obligatur itaque assignatus, ad assignationem quam assignatarius ipfi probauit (a), acceptandam & solutionem praestandam. Nec requiritur ut assignans ideo speciale mandatum ad assignatum dirigat, quia iam vi obligationis praeexistens obligatur, eiusque nihil interest vtrum assignanti an assignatario soluat; fieri interim potest ut assignans assignato insuper speciale det mandatum de solutione assignatario praestanda, quo casu assignatus ex duplii quasi obligatione solutionem praestare tenetur.

Licet vero assignatarius assignationem acceptauerit, eadem tamen qua antea assignatario obligatione erat de-

E 3 uinctus,

(a) Quomodo probatio assignationis peragenda sit docet STRYK
in



uinctus, etiam post acceptationem assignationis ipsi manet obstrictus, quia demum per solutionem assignatario praesitam ab obligatione erga assignantem liberatur. Nec mutatur haecce obligatio, quamvis assignatus assignatario solutionem pacto promiserit: tale enim pactum assignatum non facit debitorem assignatarii, multominus per id regressus assignatario erga assignantem competens, si solutio non sequuta sit tollitur: nam hoc pactum solum eum habet effectum, ut assignarius assignatum, si solutionem recusat, actione ex pacto conuenire queat, licet speciali mandato ad agendum sit destitutus, quo tamen, instructus esse debet (b), si contra assignatum morosum actionem instituere velit.

§. XXIII.

Assignatio assignato obligationem solutionem praestandi imponit, quam si praesentiterit, extinguitur debitum non solum inter assignantem & assignatum, sed etiam inter assignantem & assignarium, & quidem ita ut etiam fideiussores & pignora liberentur, quia per solutionem ab assignato praesitam extinguitur debitum principale, hoc vero sublato necessario tollitur accesso-

in diff. saepius laud. §. 63. Si assignatio ab alio quam ab assignatario praesentetur, assignatus acceptare quidem potest assignationem, sed haud prius soluere tenetur quam praesentans tempore solutionis se legitimauerit.

(b) conf. idem STRYK §. 41. & 42. simulque ESTORIS *deutsche Rechtsgelahrtheit* p. 2. pag. 792. §. 4864.


sorium. Expressis verbis id declarat l. 64. D. de solut. *cum iussu meo id quod mihi debes, soluis creditoribus meo: & tu a me, & ego a creditore meo liberor.* l. 59. eodem l. 180. de R. I.

In §. XIX. probauit, assignantem assignationem posse reuocare. Iam queritur: an si assignans assignationem reuocauerit & assignatus nihilominus soluerit, ipse liberetur ab obligatione, qua assignanti obstrictus erat? iuxta legem 12. D. de solut. distinguendum mihi videtur: an assignatus nesciuenter reuocationem assignationis dum soluit, nec ne? priori casu, assignatus non obstante reuocatione per solutionem assignatario praestitam ab assignante liberabitur: nam quia assignans semel mandauit debitori ut alii soluat, hic tamdiu recte inhaeret huic mandato, donec contrarium denuncietur, praesertim cum assignans sibi imputare debeat, quod reuocationem assignationis non denunciauerit assignato. Posteriori vero casu, assignatus quamvis soluerit non liberabitur.

§. XXIV.

Paucis adhuc disquirendum est, quanam nummorum specie, assignatus assignatario solutionem praestare teneatur? Agitatam fuisse hanc quaestionem docet SIEGELIVS in notis ad §. XXI. *ordinationis cambialis Lipsiensis nota b.*) Mihi distinguendum videtur, vtrum nomen, quod assignatus assignanti debet, ex *mutuo*, an vero ex *alio quodam contractu ortum sit?* priori casu hanc quaestionem secundum regulas, quas ius commune suppeditat, decidendam esse existimo; posteriori

vero



vero casu, assignatum, quacunque specie monetae probae, vel moneta minoris moduli, assignatario solutionem, saltem pro parte praestare posse puto, prout declarat sententia scabinorum Lipsiensium apud eundem SIEGELIVM loco all. --- daß Johann Seyfferths Principale die Bezahlung der assignirten Schuld- Post an 250. Rthlr. $\frac{1}{2}$ und $\frac{2}{3}$. Stücke praecile zu suchen, derer Sechs - Pfenningen auch sich gaenzlich zu entbrechen nicht vermoegen, sie seynd aber an diesenüber 25. Rthlr. in allen anzunehmen nicht schuldig.

M E M B R U M II.
D E A C T I O N I B V S E X A S S I G N A T I O N E
C O M P E T E N T I B V S .

Effectus assignationis consistit *cum* in iuribus & obligationibus *tum* in actionibus. Iura & obligations ex assignatione promanantia haetenus pertractauit, iam de actionibus ex ea oriundis mihi agendum est. In expoundis hisce actionibus, eundem quem in pertractandis iuribus & obligationibus seruauit ordinem sequar, ita ut *primo* actiones quae assignanti, *secundo* eas quae assignatario, & *tertio* eas quae assignato competunt proponam.

A.) D E A C T I O N I B V S Q V A E A S S I G N A N T I E X A S S I G N A T I O N E
D A N T V R .

§. XXV.

a) *De actione quam assignans aduersus assignatarium instituere potest.*

Assignatio est mandatum quo assignans assignatario
com-


committit, ut nomen quoddam ab assignato exigat (§. I.). Ex hac notione sequitur, assignatarium assignanti ex mandato instar mandatarii obligari. Nullum igitur est dubium, quin actiones inter mandantem & mandatarium locum habentes, etiam inter assignantem & assignatarium locum inueniant. Utitur itaque assignans actione mandati *directa* aduersus assignatarium, ad consequendum id quod eius interest hunc debitam diligentiam non adhibuisse. Sic ex gr. si assignatarius exactionem debiti assignati nimis procrastinauerit, vel plane non exegerit nomen assignatum, & inde factum sit, ut debitor assignatus foluendo esse desierit, aut si assignatarius alio modo debitam diligentiam non praestiterit, assignanti eiusue heredibus, datur actio mandati directa, aduersus assignatarium eiusue heredes, ad indemnitatem consequendam.

§. XXVI.

b) *Quaenam actio assignanti contra debitorem assignatum competit?*

In §. XIX. probauit, assignantem assignationem aequae expresse ac tacite reuocare posse. Nullum igitur est dubium, quin assignans etiam post assignationem factam, (re adhuc integra) debitum assignatum ipse exigere, eumque in finem *actionem ex negotio quo contractum est nomen assignatum instituere queat*. Ita ex gr. si nomen assignatum ex mutuo debeatur, conditione certi ex mutuo vti potest. Nihil-

F que



que interest, siue assignatus assignatario solutionem pacto promiserit, siue non, quia hoc pactum inter assignantem & assignatum initum, salvo iure assignantis accipi debet.

Alia vero est quaestio: *an & quaenam ex ipsa assignatione assignanti contra assignatum competit actio?* cocceii in Diff. saep. laud. §. 35. actionem mandati directam assignanti aduersus assignatum simpliciter tribuit. Ast mihi distinguendum videtur: vtrum assignans assignato mandatum speciale ad solutionem assignatario praestandam dederit, & assignatus id acceptauerit, nec ne. Priori casu, sententiae quam fouet cocceii lumbenter subscribo: hoc enim casu assignatus non solum ex obligatione praexistenti, sed insuper quoque ex mandato, solutionem assignatario secundum mandatum praestare tenetur. Quod si igitur assignatus culpa seu dolo fecerit, quo minus assignatio rite consummata sit, & assignans inde damnum fenerit, hic actionem mandati directam contra eum instituere poterit. Posteriori vero casu, si speciale mandatum inter assignantem & assignatum haud intercesserit, assignanti nulla praeter ea, quae ex obligatione praexistenti oritur, competere potest actio.

B. DE ACTIONIBVS QVAS ASSIGNATARIVS
INSTITVERE POTEST, ET QVIDEM

b) *contra assignantem*

§. XXVII.

Quia per assignationem obligatio inter assignantem

tem & assignatarium existens haud tollitur, vel me non monente perspici potest, *assignatario*, non obstante assignatione, actionem ex hac obligatione in saluo manere, eamque ei competere, si praeter suam culpam, vel plane nihil vel non totum ab assignato consecutus sit; ut bene monet HARPPRECHTVS in diss. supr. laud. §.
 53. Sed haecce actio ex ipsa assignatione non oritur. Disquirendum ergo erit, quaenam actio ex ipsa assignatione assignatario aduersus assignantem competit? Cum assignatarius sit instar mandatarii, actio, ipsi ex assignatione aduersus assignantem competens, profecto nulla alia quam *actio mandati contraria* esse potest. Hanc assignatarius eiusue heres instituere potest aduersus assignantem eiusue heredem, ad consequendum *omne id* quod intuitu assignationis ex patrimonio ipsi abest.

§. XXVIII.

b) *contra assignatum*

Si quaeritur, quibusnam actionibus assignatarius aduersus *assignatum* vti possit, distinguendum erit: vtrum assignatus assignationem sibi significatam acceptauerit, praestationemque solutionis assignatario promiserit, nec ne? priori casu assignatarius contra assignatum solutionem recusantem *actionem ex pacto* proprio nomine instituere (a) potest, quia assignatus solutionem quam *pacto* in se suscepit praestare tenetur.

F 2

§. XXIX.

(a) conf. ill. I. L. SCHMIDT in libro qui inscribitur *Lehrbuch von gerichtlichen Klagen und Einreden* §. 882. edit. 2dae.



§. XXIX.

Quod si vero assignatus assignationem haud acceptauerit, sed potius eius acceptationem statim ab initio recusauerit, iterum distinguendum mihi videtur: an assignatarius contra assignatum *iure & nomine proprio* agere velit, an vero tanquam mandatarius *iure & nomine assignantis*.

Priori casu, assignario nulla competere potest actio, quia per assignationem assignatarius non sit dominus nominis assignati, sed solum mandatarius, mandatarius vero qua talis suo nomine agere nequit (*a*). Declararunt id Scabini Lipsienses (*b*), qui actionem ab assignario nomine proprio contra assignatum institutam reiecerunt, sequentibus usi rationibus decidendi: Obwohl der Grund der Klage auf ein mandatum, so Beklagter von Klaegers debitore --- Klaegern --- 87. Rthlr. zu bezahlen, gehabt, und eine von N. bescheinigte assignation --- gesetzt, und dabey, daß Beklagter unter dem Vorwand, er habe diese Post bereits gezahlet, die Zahlung in Güte zu leisten sich verweigert, angeführt werden wollen; Dieweil aber dennoch actio mandati allein dem mandanti, und nicht dem tertio, um dessen Willen solches ergangen, wider den mandatarium zu kommt, gleichwie auch aus der assignation, so lange der assignirte creditor dem assignirten debitori solche nicht praesentiret, dieser aber dieselbe nicht accepti-

(*a*) STRYK laud. Diff. §. 42.

ret

(*b*) apud SIEGELIVM in corp. iur. camb. p. 2. no. 17. pag. 215. & 216.

ret hat, zwischen den selben kein vinculum iuris entsteht &c.

Posteriori vero casu, si nimirum assignatarius nomine assignantis agere velit, actio ei denegari haud poterit. Tenetur vero tunc ad personam suam legitimandam. Sola vero possessio instrumenti assignationis ad hanc legitimationem non sufficit (c), quia ex eo quidem mandatum ad exigendum, non vero mandatum ad agendum colligi potest, (MEVIVS p. 3. dec. 23.) nisi instrumentum assignationis simul mandatum ad agendum contineat (d), & assignatarius simul de rato caueat: saepius enim, teste experientia, formula: in Güte oder durch den Weg Rechtens, non ut ea assignatio facultas agendi tribuatur, sed ut assignatus, prae metu actionis, ad solutionis praestationem commoueatur, adiici solet.

C. DE ACTIONIBVS QVIBVS ASSIGNATVS VTI POTEST,
ET QVIDEM

a) contra assignantem.

§. XXX.


Assignato competere actionem mandati contraria aduersus assignantem, simpliciter quidem statuit de cocceii in diff. de assign. §. 36. ast mihi haec actio assignato eo demum casu competere videtur, quo assi-

F 3 gnans

(c) Assignationis productionem sufficere, si assignatarius simul documenta ad causam pertinentia possideat, & cautionem de rato praestet, putat STRYK §. 42.

(d) Formulam eiusmodi instrumenti assignationis exhibet ill.

CLAP-



gnans assignato acceptationem assignationis & solutionis praestationem mandauit. Nimirum, ex antea dictis patet, assignatum, vel *sine speciali mandato*, vi obligacionis praexistentis, & quia eius nihil interest, vtrum assignanti an tertio soluat, ad assignationem acceptandam solutionemque praestandam obligatum esse; quod si fecerit assignatus, non video quomodo actio mandati contraria ei competere queat, cum plane nullum adsit mandatum, sed assignatus absque mandato solutionem praefiterit. Interim nec hoc casu, assignato omnem actionem contra assignantem denegabo, si damnum ex assignatione passus sit, quod assignans reparare tenetur, modo alia actione ex. gr. *in factum* vtatur.

Quod si vero assignans assignato acceptationem assignationis, & praestationem solutionis mandauerit, tunc hic omnino contra illum actionem mandati contrariam instituere poterit, ad indemnitudinem quam assignans praestare tenetur consequendam.

b) aduersus assignatarium.

§. XXXI.

Assignato aduersus assignatarium *ex ipsa assignatio-*

ne

CLAPROTH *in iurispr. heurem. part. II. seit. sp. cap. 2.*
tit. 13. — Ich Endes unterschriebener vor mich meine
Erben und Erbnehmen, urkund und bekenne hiemit:
Dass ich dem Hrn N. meine an Hrn O. habende Schuldfor-
derung von 1000 Rthlr. in Louisdor samt rückstaendigen
Zinsen assigniret, und die darüber sprechende Obligation
vom 16. Aug. um selbige in Güte, oder durch den Weg
Rechtens — einzutreiben &c. Formulam ipsius libelli
fuppeditat IOH. FRIED. SEYFARTS Formularbuch pag. 97.

❖❖❖❖❖

ne propria nulla competere potest actio, quia assignatio solum quidem assignato erga assignatarium, non vero vice versa sc. assignatario erga assignatum, obligationes imponit: fieri tamen potest ut assignarius *intuitu assignationis* assignato obligetur, quo casu quoque actionem aduersus illum instituere potest. Sic ex. gr. si assignatus ex errore plus soluit assignatario, quam secundum tenorem assignationis soluere debuisset, conditione, ad consequendum id quod plus soluit, recte vtitur. Quia vero haec & similes actiones non *ex ipsa assignatione* fluunt, ideoque nec huius loci sint, iubens eas praeterero.


SECTIO IV.

DE MODIS QVIBVS SOLVITVR ASSIGNATIO.

§. XXXII.

Cum assignatio sit mandatum, facile perspici potest, eam iisdem fere quibus mandatum solui modis, & quidem 1) *mutuo diffensu*, 2) *reuocatione* assignantis, tam expressa quam tacita tempestiue facta, nisi assignatio inter mercatores facta sit: mores enim qui inter hos vigent saepius aliud disponunt §. XIX. 3) *renunciatione assignarii*, minime vero *assignati*, nam hic non solum ex mandato, sed etiam ex obligatione praexistenti ad praestandam solutionem obligatus est. Requiritur vero ut renunciatio tempestiue declarata sit: alias assignarius assignanti tenetur ad omne id quod eius interest assignationi renunciatum esse.

Mi-



Minime vero assignatio morte soluitur. Eam morte assignati
haud solum, inter Doctores conuenit, quia assignatus ex praecedenti
obligatione solutionem praestare tenetur, quae omnino ad
eius heredes transit. An vero morte assignantis vel assignatarii
soluantur, dissentient iureconsulti: COCCEII in diss. de ass. §. 38.
n. 4.) eam tam assignantis quam assignatarii morte expirare pu-
tat, contrarium vero contendit STRYKII in diss. saep. laud. §. 64.

Ait sententia STRYKII mihi verior videtur ea quam fouet COC-
CEII, ideo quod ratio, cur alias mandatum morte vel mandan-
tis vel mandatarii expirat in assignatione plane cesseret. De regu-
la enim in aliis mandatis, commissio & praefatio officii mere
personalis est, singularem pro certo ponens amicitiam. In assi-
gnatione vero assignans, exactionem solutionis a tertio, non ex
singulare amicitia committit, sed ut ab obligatione qua alteri te-
netur liberetur, assignatarius vero itidem non ex singulare amici-
tia eam recipit, sed ut suum consequatur. Vtraque vero ratio, in
heredibus tam assignantis quam assignatarii eadem manet, ideoque
etiam assignationem ad heredes transire, mihi statuendum videatur.

Atque haec sunt, quae de assignatione pro instituti & virium
ratione, dissertationis inauguralis loco cum benevolo lectore com-
municare volui. Fafeor equidem, adhuc plura in medium pro-
ferri potuisse, sed cum animus mihi non fuerit, omnes quae cir-
ca assignationem oriri possunt quaestiones, ex aliorum sciriis pro-
ponere, sed tantum in naturam assignationis positis genuinis
principiis inquirere, me facile omissorum veniam impetraturum
spero. Erratorum vero, & minus accurate dictorum, lectorem
aequum eo facilius mihi facturum esse gratiam, confido, quod
in loco iurisprudentiae ciuilis difficillimo & scrupulosissimo ver-
satus fuerim.

Erratum

Pag. 20. not. a.) lin. 4. loco *Preuss. Wechselr. lege Ius camb. Boruss.*




Ziegen, Griss., 1781-92




3





4
1782 17 7

COMMENTATIO IVRIDICA
DE
ASSIGNATIONIBVS
QVAM
DISSERTATIONIS IN AVGVRALIS LOCO
CONSENSV ET AVCTORITATE
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA GIENSESSI
ER VDITORVM DISQVISITIONI
SVBMITTIT
CAROLVS PHILIPPVS SICHERER
IVRIS VTRIVSQUE LICENTIATVS.



Gieffae 1782.

typis IO. IAC. BRAVNII, Acad. typograph.

